

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 5099

**Auteur(s) :** Alexandre III [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Foucarmont, Notre-Dame (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1175, 5 mai

**Lieu d'émission :** Ferentino

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Le pape Alexandre [III] confirme les biens et les droits de l'abbaye Notre-Dame de Foucarmont (Bulle rédigée d'après celle d'Anastase IV. Voir RAMACKERS, n° 78 et p. 234 ; SCRIPTA 5056).

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 140, p. 234-238.

### Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2<sup>e</sup>éd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 12472, t. 2, p. 283.

Texte établi d'après a

Alexander episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Hugoni abbati monasterii sancte Marie Fulcardimontis eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem uitam professis imperpetuum. Religiosis desideriis dignum etc. Eapropter etc. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Preterea quascumque possessiones etc. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis : locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, ex dono patris et matris comitis Augensis, Iohannis scilicet et ipsius Sartum Baril et Nouam Landam et Sartum Engelerii et in foresta prefati comitis quietantiam pasnagiorum, erbagiorum, edificiorum et ignium et per totam terram ipsius quietantiam omnium mercatum tam ad uos quam ad famulos uestros pertinentium et quicquid intra curtem abbacie et omnium grangiarum uestrarum uenditum fuerit, et in ipsis uendentibus et ementibus a theloneis et molturis et omni consuetudine liberum sit et quietum, insuper et omnes culturas ipsius comitis apud Fulcardimontem cum auxiliis carrucarum et totam Beleam intra eandem forestam et nemus intra Sartum Baril et in maeria Blangeii centum solidos annuatim et omnes messes uestras necnon et omnium triturantium in grangiis uestris a moltura et omni consuetudine liberis et terciam partem molendini de Maisnil et forestam ipsius ad domos et grangias, ubicumque necessarium uobis fuerit, construendas, quicquid etiam nemoris est a uia, que ducit ad grangiam Campenesie uille a Fulcardimonte, usque ad angulum sancti Martini, quousque terra uestra protenditur, et usque ad fundum uallis subtus ipsam grangiam iacentis, sed et culturam de prato et illam de busco Rainaldi

et campum supra uiam Predose uille et tres acras in Campo Teoderici et duas ad nemus Nosberti totidemque in pomerio ecclesie et campum ante domum infirmorum et quicquid pratorum sepedictus comes habebat inter abbatiam et Fanencurt et pratum fratris Gisleberti et supra unam acram nemoris et tres iuxta campum Willelmi filii Seburgis, hec omnia quieta et ab omni consuetudine libera, item ex feudo Willelmi filii Nicholai omnia prata inter abbatiam et Fanencurt, porro apud Campenesiam uillam duas carrucatas terre, unam ex feudo Roberti de Fanencort, alteram uero ex feudo Roberti de Restouual, item ex feudo Willermi Longi sex acras terre ex una parte abbatie et quatuor ex altera parte omnino quietas et liberas et ex feudo Gilleberti filii Soriz campum unum iuxta culturam ecclesie et alterum ad nemus Norberti, tertium quoque in monte super abbatiam, libera penitus et quieta et ex feudo Hugonis Mationis tres acras terre liberas et quicquid Osbertus de Pilo Ceruino habebat citra abbatiam usque ad Marlariam ipsamque Marlariam et parum nemoris ultra eam, preter hoc unam acram terre, omnia quieta et libera, ex dono Rogerii de Salceo unam acram terre de foris Osbertimaisnil et totam terram suam uastam, que est in Monte Astreia, omnino quietam et liberam, item ex dono Bernardi Molendinarii tres acras terre nemorose et ex dono Rainaldi de Septem Molis unam acram et dimidiam et ex dono Roberti sacerdotis de sancto Iohanne tres acras terre, hec omnia libera et quieta, item ex dono Heruei de sancto Sulpicio octo minas moliture et quatuor bustellos frumenti et tres nummos et obolum omnino quieta et libera, ex dono Uualterii de sancto Aniano tres acras terre et ex dono Abraham de Grandicuria unam acram liberam, duas quoque salinas apud Briencurt quietas et liberas et unam acram terre ex dono Fulconis de Puteis, item ex dono Godardi unam acram terre liberam et a Guidone Molendinario acram unam ad campartum et alteram eque ad campartum ex dono Gilleberti Cokerel, ex dono Lamberti filii Gerardi duas acras terre penitus liberas, item duodecim acras terre et dimidiam intra Hiciet liberas, dimidiam uero ad campartum et ex dono Radulfi filii Tustini campum unum supra abbatiam quietum, sedem quoque uille Nemoris Ulberti et dimidium eiusdem uille territorium et omnia, que ibi possidetis, quieta penitus et libera preter annum censum, sicut in cartis donatorum rationabiliter continetur, quatuor etiam minas frumenti in molendinis de Fanencurt et quicquid Robertus de Astingis habebat in territorio Nemoris Ulberti et campum supra abbatiam ad Spinam omnino quietum, ex dono Willermi de Pormort terram suam de Fraitis et decem acras terre in Plaisentia et totidem ad Fossatum regis et ad idem Fossatum ex dono Roberti de Alneto duodecim acras ibique ex dono Hugonis de Bosco totidem et ad idem Fossatum regis ex dono Ricardi Kalemel decem acras et de dono Ricardi de Elgueuilla nouem acras in Monte Pulcri Hominis et ex dono Rogeri fratris eius unam et ex dono Willelmi de Salcesaiamara unam acram in eodem Monte et quinque istis contiguas omnino liberas, reliquum feudi usque ad uiam Mortui Maris ad campartum solum, ex dono Baldrici de Flames et Radulfi de Noua Uilla duas acras, ad Onemaisnil ex dono Willelmi de Hosdenc decem et septem acras, octo uero ex dono Roberti prepositi, omnes liberas et quietas et de Ingelranno de Isleis duodecim acras ad campartum, ex dono Radulfi de Noua Uilla unam acram liberam et quicquid ab illa est usque ad uiam Mortui Maris, omnino liberum et quietum, quietantiam quoque moliture in terris uestris apud Onemaisnil necnon et terram, quam Willelmus de sancto Germano, et illam, quam Robertus de Flammes et Rogerius homo suus uobis in elemosinam contulerunt, et ex dono Willelmi camerarii de Tancarquilla apud Arculas octoginta solidos annuatim, terram etiam de Guariniprato et de Fraisnello a Ricardo comite uobis datam liberam et quietam ab omni consuetudine et grauamine preter seruitium uauassorum et ex dono Wilardi de Hileis totam terram suam de Guariniprato ad campartum et quicquid idem Wilardus per manum Hugonis Rothomagensis archiepiscopi in eodem territorio uobis concessit, ex dono Willelmi de Fraisnello unam carrucatum terre liberam preter firmam, reliquum uero feodum ad campartum, similiter et quicquid Radulfus de Fesquiis habebat in eodem territorio ad campartum, ex dono Roberti de Frasnio quindecim acras ad campartum, ualcellum de Loeuiz et campum iuxta nemus Gaufridi, campum etiam de Fossa Heldei et auesnam de Monte Landam necnon et auesnam de subtra Willelmi Raimbold ad campartum, ex dono Alberici de Fesquiis campum uallis Petri, campum Marie, campum Orti, campum Castellarii, Valliculam Cauerne, hec omnia quieta preter solum campartum, necnon et auesnam Frogerii, auesnam etiam de capite Rogi liberas et quietas, ex dono Nicholai de Walteri uilla totum feodum suum de Guariniprato liberum preter censum, similiter ex dono Albreie filie Adelelmi necnon et ex dono Willelmi Acris quicquid habebant in eodem territorio liberum preter firmam, et ex dono Gisleberti de Sartis quicquid habebat in terra de Gariniprato omnino quietum preter censum quinquaginta solidorum Rothomagensium, quicquid etiam ex dono Hugonis Rothomagensis archiepiscopi apud Fesquias, apud Campenoise uillam, apud Fraitis et in Landa de Barilessart et in Noua Landa et quicquid in nemore, quod est inter utramque Landam, dono, ut supra dictum est, prefati archiepiscopi possidetis, liberum uobis et quietum esse decernimus, saluo iure pontificali, sicut in uestris rationabiliter continetur instrumentis ; set et in campo Belli et in terra Galteri Peurel necnon et quicquid ex dono Ricoardi habetis in Bosco Ulberti, libera uobis et firma permaneant, illud quoque, quod ex dono Odonis de Oriual et quicquid habetis in feodo

Helie Keuerolcort, et salinas, quas Hugo de sancto Mauricio et Willelmus frater eius apud Ulteriorem Portum de comite Augi tenebant, liberas, grangiam de Mainoltessart cum uniuersis terris et nemoribus ad eam pertinentibus, hec omnia libera et quieta preter annum censum Henrico de Toiz exinde persoluendum, ex dono Hugonis de Malanocte totam terram suam de Spina cum nemoribus sibi appendentibus liberam penitus et quietam, ex dono Radulfi de Gisencort et Hidorie uxoris eius dimidium Maisnil Azelini dimidiumque nemoris de Spina et quicquid est a territorio de Spina usque ad fagum et quercum de Semercurt, hec omnia quieta preter duodecim minas frumenti fratribus de Templo annuatim persolendas, ex dono Gualteri de Gohouilla dimidium fageti de Spina et dimidium fageti de Semercurt et quarterium Maisnili Azelini et omnia, que ibi habebat, omnino quieta preter firmam, ex dono Willelmi de Merlou et Rainaldi fratris eius quicquid habebant in tota terra de Harsi, et omnes consuetudines, quas ibi reclamabant, scilicet uiarias, aduocatorias, molturas, custodias et iusticias, nichil sibi retinentes, preterea per totam terram et iusticiam de Merlou quietanciam de theloneis, passagiis et cunctis consuetudinibus et cunctis animalibus uestris, commune herbagium et, quousque terra eorum protenditur, piscatorias et omnes aientias aquarum, ex dono Oddonis Beluacensis castellani et Freessendis uxoris sue totam terram suam de Harsi cum omnibus appendiciis suis, mansionibus scilicet et pratis, culturis et uineis, aquis et piscariis, roagiis et pressoragiis censualibus et feodis, edificiis domorum et pressorii necnon et quietantiis uniuersis, nichil sibi in his retinentes preter annum censum. Hec omnia ita absoluta et libera ab omni grauamine seculari et indebita exactione, quemadmodum uobis rationabiliter indultum est, esse censemus. Sane laborum etc. Paci quoque etc. Liceat etiam uobis clericos etc. Prohibemus insuper etc. Decernimus ergo etc., salua sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur etc. Cunctis autem etc. AMEN.

Dat. Ferentin. per manum Gratiani sancte Romane ecclesie subdiaconi et notarii III<sup>o</sup> non. maii, indictione octaua, incarnationis dominice anno M<sup>o</sup>.C<sup>o</sup>.LXX<sup>o</sup>.V<sup>o</sup>, pontificatus uero domni Alexandri pape III anno sextodecimo.